PRAELECTIONES

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM CAESAREA VILNENSI

A KALENDIS SEPTEMBRIBVS A. MDCCCXVIII
AD PRIDIE KAL. QVINTILES A. MDCCCXIX

HABENDAE

INDICVNTUR

A

RECTORE ET SENATV ACADEMICO.

PRAECEDIT G. E. GRODDECKII DISPVTATIO:

GETAE *ΑΘΑΝΑΤΙΖΟΝΤΕΣ* SIVE DE IMMORTALITATIS QVAM GETIS PERSVASISSE DICITVR ZAMOLXIS RATIONE.

VILNAE
EXCVDIT IOSEPHVS ZAWADZKI
ACADEMIAE TYPOGRAPHVS.

TRALATICIUM est, Cives Amantissimi, Getas, Thraciae quae intra Haemum et Istrum porrigitur quondam populum, fortitudinis aeque ac iustitiae laude clarissimum (*a*), haud perituros se existimasse, sed morientes ad Deum concessuros suum, omnique bonorum genere cumulatum iri credidisse populari suo *Zamolxidi*, legum ac religionum apud cives suos auctori nobilissimo, et patrii Numinis honorem adepto. Vestra autem magni, opinor, intererit ad laudem populi, quem eiusdem cum *Slavis* originis ac stirpis habendum esse viri docti haud temere suspicantur (*b*), si ad liquidum perduci possit, gravissimum de immortalitate hominum decretum, in quo demonstrando Graecorum olim sapientissimum virum, morti vicinum, in divino illo cum Phaedone aliisque familiaribus habito sermone, a Platone relato, tantopere desudasse cognoveritis, iam a multis inde annorum millibus Getarum genti, tum quidem rudiori, a cive suo Zamolxide traditum, adeo placuisse, ut vel pluribus saeculis post, certissima de vita ac felicitate futura persuasio insitam animis eorum virtutem mirum quantum auxisse et corroborasse perhibeatur (*c*). Quod firmissimis argumentis doceri posse ut vobiscum vellem, ita, quemadmodum Simmiam et Cebetem Thebanos in laudato Platonis dialogo monet Socrates (*d*), ut *Socratis* parum, sed multo magis *veri* rationem habeant; equidem sic vos hortor, ut Zamolxidis et Getarum laudis minus cupidi, quam rationum, quibus laus ista utrisque vindicetur, studiosi esse velitis.

Etenim, ut verum dicam, id ipsum, quod modo de Socratis sive Platonis summo studio, in demonstranda animorum

(*a*) *Herodotus* IV. 93. *Οἱ δὲ Γέται . . . αὐτίκα ἐδουλώθησαν* (a Dario), *Θρηΐκων ἐόντες ἀνδρειότατοι καὶ δικαιότατοι.*

(*b*) *Gattererus* in Disquisitione, an Russorum, Polonorum ceterorumque populorum Slavicorum originem a Getis sive Dacis liceat repetere? inserta Commentationibus Soc. Gotting. Volumini XI.—Cuius eruditissimi viri suspiciones multis argumentis firmare conatus est *Lelewellus* noster, V. Cl. in doctissimis quas ad me dedit litteris.

(*c*) „Vici, Traianus inquit Imperator apud *Iulianum* in Caesaribus, vici gentem omnium bellicosissimam, non solum propter corporis vires quibus pollet, sed ob summam praecepti a Deo suo Zamolxide sibi impertiti efficacitatem. Nam quum haud se morituros, sed sedes modo suas mutaturos esse Getis persuasum sit, eo acrius pugnant, ut qui profectionem exspectent.“

(*d*) Cap. 40. extr. p. 155. ed. Beck. *Παρασκευασμένος μὲν δή, ἔφη, ὦ Σιμμία τε καὶ Κέβης, οὑτωσὶ ἔρχομαι ἐπὶ τὸν λόγον. ὑμεῖς μέντοι, ἂν ἐμοὶ πείθησθε, σμικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον, ἐὰν μέν τι ὑμῖν δοκῶ λέγειν ἀληθὲς, ξυνομολογήσατε κ. τ. λ.*

immortalitate posito, afferre me meministis, male me habuit, quoties in narrationem istam de Getis et Zamolxide inciderem. Nimirum mirabar casus fortuiti quasi ludibrium, quo effectum sit, ut de hominum immortalitate et proborum cum Numine divino post obitum consortio perpetuo quaestio gravissima, quum, quod multis quasi tenebris involuta, magnis impedita difficultatibus, acutis contentionum dialecticarum spinis cooperta sit, sagacissimum pariter atque eloquentissimum antiquitatis philosophum toties, in Timaeo, Menone, Phaedro, ultimo de Republica libro, et maxime in Phaedone, exercuisset, neque sic tamen, quamvis multis, iisque tam sollerter excogitatis quam operose deductis rationibus, prorsus ab eo confecta esse videri possit: ut, inquam, quaestio tam occulta Getae cuiusdam, hominis, si a fabulis recedas, et aetate et vita parum noti, a litterarum autem ac philosophiae studio, ut videtur, prorsus alieni, praeceptis, non solum ab omni investigandi dubitandique difficultate ac molestia liberaretur, verum etiam in tantam lucem proferretur, ut universum populum, rudem ac barbarum, certissima vitae futurae ac melioris post mortem conditionis spes teneret atque erigeret.

Quae quum animum saepe versarent, ecce alius mihi scrupulus iniectus est, reputanti, quaecunque de Zamolxidis vita rebusque gestis tradita leguntur, ea non e gentis, ex qua originem duxit, annalibus, qui nulli sunt nec unquam fuerunt, petita esse, sed Graecorum scriptorum libris unice deberi; Graecos autem, qui in *suis* rebus, remotae praesertim aetatis illis, priscam magis famam, poëtarum ingenio et sermone exornatam, quam certam historicorum monumentorum fidem sequerentur, in *exterorum*, imprimis *septemtrionalium* populorum historia tradenda multo minus cautos ac providos fuisse; quid? si vel summam diligentiam adhibebant, aut adhibere studuissent, ista diligentia sua parum tamen profecturos fuisse in rerum memoria exploranda, quae nullis scriptis monumentis niteretur, quamque, etiamsi, quod rarius accidit, barbarorum sedes ipsi adirent, atque adeo ex ipsis, quos dicunt, fontibus haurirent, haud aliter tamen reddere poterant quam accepissent, mancam videlicet, incertam, multis fabularum involucris obscuratam.

Ceterum, quae hic a me disputata sunt, non eo consilio dicta esse putetis, ut veterum libris fidem detraherem, aut a veri investigatione, tanquam vano et inutili labore, vos deterrerem. Immo, quamquam in rebus quae remotioris sunt antiquitatis, certi quid, ut Platonis verbis utar, (*e*) „aut nullo modo, aut magna cum difficultate sciri vel cognosci possit, tamen quae de iis narrantur, ea non quovis modo explorare, ac prius desistere quam ex omni parte defeceris, viri esset admodum ignavi.“ —

Circumspiciendi igitur scriptores erunt veteres, qui de Getis eorumque legislatore atque Deo Zamolxide tradiderint; tum quid dixerint, et quomodo, quis testimoniorum consensus, quae

(*e*) In Phaedone c. 35. Opp. T. I. p. 145 sq. ed. Beck.

discrepantia reperiatur, qui scriptores res quas referunt aut primi, aut saltem ipsi exploraverint, qui alios tantum exscripserint, diligenter attendendum. Potiorum quidem auctoritates, post Fabricium (*f*), nuper collegit atque exposuit vir doctissimus, *Chardon de la Rochette* (*g*). Quo loco habendi sunt Hellanicus Lesbius (*h*), *Herodotus* (*i*), *Plato* (*k*), *Diodorus Siculus* (*l*), *Strabo* (*m*), Mnaseas (*n*), *Lucianus* (*o*), *Clemens Alexandrinus* (*p*), *Origenes* (*q*), *Antonius Diogenes* (*r*), *Diogenes Laërtius* (*s*), *Porphyrius* (*t*), *Iamblichus* (*u*), *Iulianus* (*v*), *Cyrillus Alexandrinus* (*x*), *Aeneas Gazaeus* (*y*), *Eustathius* (*z*), *Hesychius*, *Etymologicum M.*, *Suidas*, alii.

In multis his *Herodotum*, Graecorum et exterarum gentium historiae parentem, aetate ac fide gravissimum, principes partes tenere, nemo dubitet. Nam et Getarum in Thracia sedes haud dubie ipse invisit (*a*), et quae ad Zamolxidem eius-

---

(*f*) Biblioth. Graec. vol. I. p. 14. ed. Harles.

(*g*) In Mélanges de Critique et de Philologie, Paris. 1812. T. I. p. 58-70.

(*h*) Ab Etymologici M. auctore et Suida v. *Ζάμολξις* laudatus his verbis: *Ἑλλάνικος δὲ ἐν τοῖς Βαρβαρικοῖς Νόμοις φησὶν, ὅτι ἑλληνικός τις* (Etym. M. *τε*) *γεγονὼς τελετὰς κατέδειξε Γέταις τοῖς ἐν Θράκῃ· καὶ ἔλεγεν ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς ἀποθάνοι, οὔθ' οἱ μετὰ τούτου, ἀλλ' ἕξουσιν πάντα ἀγαθά* (Etym. *τὰ ἀγαθά*). *ἅμα δὲ ταῦτα λέγων ᾠκοδόμει οἴκημα κατάγαιον. ἔπειτα ἀφανισθεὶς αἰφνίδιον ἐκ Θρᾳκῶν, ἐν τούτῳ διῃτᾶτο. οἱ δὲ Γέται ἐπόθουν αὐτόν. τετάρτῳ δὲ ἔτει πάλιν φαίνεται, καὶ οἱ Θρᾷκες αὐτῷ πάντα ἐπίστευσαν.* Quam historiam Herodoteae (IV. 95.) simillimam, Herodoto aequali suo, licet paulo maior natu, sublegisse videtur Hellanicus, ut totum librum, *τὰ βαρβαρικὰ νόμιμα* (Barbarorum populorum Leges et Instituta) ex *Herodoti* et *Damastes* scriptis compilasse dicitur Porphyrio apud Eusebium Praep. Evangel. IX. 39. p. 466 B. Cf. *Sturzii* Fragmenta Hellanici Lesbii p. 13-15. coll. p. 63-65. *Creuzeri* Histor. Kunst der Griechen p. 96. Not. 109.

(*i*) Historiar. lib. IV. c. 93-96.

(*k*) In Charmide p. 156 D. Steph. T. V. p. 113. Bip.

(*l*) Bibl. Hist. lib. I. c. 94.

(*m*) Geograph. l. VII. p. 297 sq. XVI. p. 762 ed. Almel.

(*n*) Verisimiliter *Patrensis*, Aristarchi grammatici discipulus, sub Ptolemaeo VII. Physcone clarus scriptor (cf. Vossius de Hist. Gr. L. I. p. 134 sq.), quem in rebus quae ad religiones et mysteria Samothracia pertinent, laudat Scholiastes Apollonii Rhodii. Is Getarum deum *Saturnum* (*Κρόνον*) fuisse, et Zamolxin appellari, tradidisse dicitur Etym. M. et Suidae l. l. *Μνασέας δέ, παρὰ Γέταις τὸν Κρόνον τιμᾶσθαι, καὶ καλεῖσθαι Ζάμολξιν.*

(*o*) In *Scytha* init. Opp. T. IV. p. 146. Bip. coll. T. IX. p. 186.

(*p*) Stromat. l. IV. p. 590 ed. Pott. 1715.

(*q*) Philosophum. c. 25. p. 170. et l. III. c. Celsum p. 144.

(*r*) Eroticus scriptor Saec. III. p. Ch. initio, cuius XXIV. librorum *de rebus incredibilibus quae ultra Thulen* (insulam) *visuntur* excerpta dedit Photius Cod. 166. et gallice vertit notisque illustravit *Chardon de la Rochette* in Mélanges de Critique etc. T. I. p. 6-17. p. 53-71. De scriptoris huius ingenio, rerumque ab eo traditarum fide legendus *Meinersius* in *Geschichte der Wiss. in Griech. u. Rom.* T. I. p. 253 sqq.

(*s*) lib. VIII. §. 2. cum notis Menagii.

(*t*) Vit. Pythag. §. 14. 15. Antonium Diogenem secutus. Cf. Chardon de la Rochette l. l. p. 53 sq.

(*u*) Vit. Pythag. §. 104 et 173. eodem Diogene duce et auctore.

(*v*) In Caesaribus p. 309. et in Ep. ad Sallustium p. 244.

(*x*) Contra Iulianum lib. VI. p. 208.

(*y*) In Theophrasto p. 43.

(*z*) In Dionys. Perieg. vs. 304.

(*a*) Cf. *Mannerti* Geographie d. Gr. u. Röm. T. IV. p. 174. *Sturzius* in Hellanici Lesbii Fragm. p. 15. „Herodotus... quem, quae IV. 95. narrat, ut *αὐτόπτην* narrare apparet," h. e. ut qui ipse in peregrinationibus suis audiverit, non hauserit ex libris aliorum."

que disciplinam resque gestas apud Getas pertinent, nisi primus, certe ceteris qui eius meminerunt multo disertius prodidit, rerum traditarum fontes, ut solet, candide professus: et iudicii sui, ex more interpositi, sanitatem mirifice nobis probavit. In quo quam parum secuti eum sint, ne Strabone quidem excepto, qui posthac de Getarum legislatore tradiderunt, sane est quod mireris. Ad *Herodotum* igitur omnis paene disputatio referenda erit: quem si recte interpretatus fuero, ceterorum qui res has attigerunt scriptorum loca, sive eadem contineant quae apud Herodotum leguntur, sive ab his diversa, nec sua, opinor, luce carebunt, et cum illis comparata, tum ipsa fient clariora, tum illorum sententiam magis illustrabunt.

Iam Herodotus, quarto historiarum libro, Darii Hystaspis filii, Persarum regis, adversus Scythas expeditionem traditurus, accurata regionis et populorum Scythicorum descriptione interposita (c. 2—82), Regis, Bosporo Thracio traiecto, iter cum terrestribus copiis per Thraciam ad Istrum sive Danubium persequitur. Quo priusquam Darius penetravit, primos, inquit, (c. 93 init.) *Getas* superavit τοὺς ἀθανατίζοντας i. e. ὁμοίους ὄντας τοῖς ἀθανάτοις, *qui ad immortales accedunt*, *iis similes sunt*, *mortis quippe expertes*, *morti haud obnoxii*. Sic enim h. l. intelligo vocabulum in tota hac narratione primarium, et significatus minus obvii, in cuius explicatione multa quidem moliti sunt interpretes, sed quam parum accommodate ad rem de qua agitur, videamus.

Primum ad loci sententiam non multum refert, ἀθανατίζοντας an ἀπαθανατίζοντας legas: quae posterior lectio ex Eustathio, in Dionys. Perieg. 304. Herodoti locum hunc respiciente (*b*), commendatur a T. Fabro, quem ideo reprehendit Wesselingius ad Herodotum, defendunt Iac. Gronovius et Valckenarius. Utrumque enim verbum, et simplex et compositum, ea in re iustum esse, et scriptoribus graecis usurpari, docet Wesselingius tum ad h. l., tum ad Diodorum Siculum I. 94. T. I. p. 466. Bip., apud quem vetustiores libri aliquot habent: παρὰ δὲ τοῖς ὀνομαζομένοις Γέταις, τοῖς ἀπαθανατίζουσι, Ζάμολξιν ὡσαύτως τὴν κοινὴν Ἑστίαν (προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι ἱστοροῦσιν). Compositum tamen magis frequentari videtur, et, si quid discriminis inter utrumque verbum intercedat, illud esse putaverim, quod praepositio ἀπό vel simplicis verbi potestatem augeat, vel absolutionem rei significet, ut in ἀπομάχεσθαι, vel communicationem, ut in ἀπομερίζειν (*c*). „Sed id dubium est, pergit Wesselingius (*d*), cur Getae ἀπαθανατίζοντες sint vocati; si Iac. Gronovium sequeris, non poterit commodius exprimi quam pro *immortalibus consecrantes*, in Arriani Expedit. Alex. I. 3. p. 8. Quam potestatem ut verbo adstruam infra (Diodor.) II. 20, ita vereor, ne, quum Getis datur, non admodum opportuna sit. Quae Herodotus IV. 94. de iisdem prodidit, id postulare videntur, ut *ex*

(*b*) Ἡρόδοτος ἀπαθανατίζοντας αὐτοὺς καλεῖ.
(*c*) Cf. Zeunius ad Vigerum p. 583 Not. cum Hermanni Annotatt. 374. 75.
(*d*) Loco laud. ad Diodor. Sic. T. I. p. 466.

opinione, quam de animae immortalitate susceperant, ita sint appellati; qua citra dubium est in his Iosephi Ant. Iud. XVIII. 1. 5. ἀθανατίζουσι δὲ τὰς ψυχάς. Mecum sentit L. Küsterus in Ζάμολξις Suidae."

Küsteri quidem, ad quem provocat Wess., haec, docta sane, legitur annotatio: „Ἀθανατίζειν proprie significat *immortalem reddere*. Hic vero est verbum praegnans, ut Grammatici loquuntur, et eleganter significat *credere vel dicere, se esse immortalem*. Sic apud Aristotelem, multis in locis, οἱ γεννῶντες τὸν οὐρανόν, dicuntur οἱ λέγοντες τὸν οὐρανὸν εἶναι γεννητόν, qui dicunt caelum habuisse ortum. Plato in Theaeteto τοὺς ῥέοντας vocat philosophos eos, qui omnia fluere statuebant. Apud Theophrastum in Char. cap. περὶ Λογοποιΐας· οἱ πεζομαχίᾳ καὶ ναυμαχίᾳ νικῶντες sunt qui victorias terra marique reportatas narrant, ad q. l. vide Casaubonum." (*e*)

Wesselingium, etsi non laudatum, exscripsit *Larcherus* in notis ad Herodotum suum T. III. p. 506. „Au reste, cette expression, ἀθανατίζουσι, veut dire, à ce que je pense, *croient l'immortalité de l'ame*, de même que celle-ci de Joseph: ἀθανατίζουσι δὲ τὰς ψυχάς *Ils croient l'immortalité de l'ame*, en parlant des Esseniens. C'est dans ce sens qu'il faut entendre ce passage d'Arrien (I. 3. 11. p. 15.) ἐπὶ δὲ Γέτας τοὺς ἀπαθανατίζοντας *Il* (Alexandre) *arriva ensuite chez les Gètes qui croient à l'immortalité de l'ame*. Gronovius ne l'a point entendu, lorsqu'il traduit: *immortalibus consecrantes*."

Ex multiplici hac verbo ἀθανατίζειν tributa potestate, quum *immortalem reddere, immortalibus consecrare* sive *in immortalium numerum transcribere* (*f*), *dicere vel credere se esse immortalem*, explicent interpretes, ultima significatio nostro Herodoti loco plurimis amplectenda visa est. In quo tamen duplicem errorem admisisse se non animadverterunt viri doctissimi: primum, quod *animarum* immortalitatis notionem sponte intulerunt, cuius ne vestigium quidem in universa Herodoti narratione deprehenditur; deinde, quod non sensisse videntur, *opinionis* haec de immortalitate animo conceptae significatio quam parum conveniat sententiae Herodoti paulo post proditae cap. 94. init. his verbis: Ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον· οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν (*g*) δαίμονα. Quae verba si ad rationem vulgo receptam

---

(*e*) Imitati sunt poëtae latini, v. c. Horatius Carm. II. 1. 11. II. 19. 12. ubi vide Mitscherlichium.

(*f*) Vid. Wesseling. ad Diodor. Sic. II. 20. T. II. p. 419 sq. Bip.

(*g*) Ζάλμοξιν. Sic primus Wesselingius exarari iussit in Herodoto, codicum consensui obtemperans. Quem hinc secuti sunt, praeter Larcherum (T. III. p. 507), Schaeferus in edit. Tauchn. et nuper Schweighaeuserus. Quae praeterea pro scriptura hac a Wesselingio afferuntur argumenta, ut nominis etymologia a Porphyrio Vit. Pythag. §. 14. commemorata, a voce Thracia ζαλμός *pellis ursina*, quae recens nato Zalmoxidi iniecta fuerit, tum Hesychii leviter discrepans scriptura, et Aeneae Gazaei auctoritas, iis non nimium tamen ipsum tribuisse, eius verba mox sequentia declarant: „Certissimum est, ab aliis nomen pingi aliter: hoc quaeritur, quomodo Herodotus; cuius scriptis membranis si fidere licet, id maluit quod datum est." Communem pleris-

vertas: *Immortales se autem credunt hoc modo: haud mori se putant, sed morientem ad Zamolxin deum ire;* risum merito moveret scriptor, qui rationem modumque explicaturus, quo modo immortales sese credant Getae (quamquam id ipsum per se satis, nulla modi explicatione adiecta, quivis intelligat unus); sed ostendere se velle significans, quemadmodum immortales se esse existiment Getae, graviter sic pergeret: *non mori se credunt.*—Quodsi Grammaticum agere voluisset Herodotus, verbique ἀθανατίζειν potestatem, ex interpretum mente, definire, nullus esset reprehendendi locus. At vero rationem modumque τοῦ ἀθανατίζειν expositurum se esse prae se ferens, qui id effecisse putandus sit verbis quae eamdem sententiam denuo inculcant quam verbo ἀθανατίζειν inesse volunt? Nec sane fugisse videtur nuperrimum Interpretem absurdum illud quod tetigi. Cui ut quomodocunque medeatur, sensum vocis ἀθανατίζειν paulo inflectens, et hic vertit: *Immortales autem hi sese praedicant hoc modo:* et superiore loco c. 93.: *Primos Getas vi subegit, illos qui se immortales* praedicant. Neque alio haud dubie respexisse videtur *Küsterus* in nota ad Suidam supra allata, verbo *credere* statim adiiciens, *vel dicere*, se esse immortalem. Utramque, et *credendi* et *dicendi* significationem, expressit eruditus Gallus interpres *Larcherus*, sed altero loco alteram. Superiore enim (c. 93) translato: „Avant que d'arriver à l'Ister, les Gètes, *qui se disent immortels*, furent les premiers peuples qu'il subjugua:" posteriorem (c. 94 initio), Herodoti verbis illis, τόνδε τὸν τρόπον, et οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι, in quibus omnis versatur difficultas, callide partim praetermissis, partim cum sequentibus conglutinatis, sic

---

que scriptorum Graecorum et Latinorum frequentatam nominis scripturam, *Za-*
molxis, idoneis argumentis tuetur *Chardon de la Rochette* l. l. p. 68 sq. Fir-
matur ea quodammodo derivatione nominis e lingua Slavonica et Lituana, ad
quam illud, etsi minus recte, ut videtur, explicans, iam retulit *Bayerus* in
Comment. Orig. Sinic. Mus. Sinic. T. II. p. 284 sq. quo auctore vocabulum
Zameluks aut *Ziameluks Deum terrae* Lituanis significat.— Iuvat hic appo-
nere quae super ea re consultus a me doctissimus *Lelewellus* mihi rescripsit.
„Lituanorum gens, inquit, affinitate quadam iuncta videtur Slavonicae,
„maxime propter varias superstitiones ritusque tam sacros quam profanos; sed
„Deorum Lituanorum a Slavorum illis diversa sunt nomina, nec magna lin-
„guae utriusque populi intercedit similitudo. Ceterum cum aliis linguis Eu-
„ropaeis commune hoc habet Lituana, ut abundet vocabulis Gothicis, Fin-
„nicis, Slavonicis, quin etiam Latina nonnulla in ea reperiantur. Nominum
„et verborum formis ditior est quam ceterae linguae. Nominum quidem de-
„clinationes Slavonicae linguae illis simpliciores habet; sed coniugatio verbo-
„rum multo pluribus instructa est Temporibus. Adiectiva Lituanorum, prae-
„ter comparationis gradus, *intentionis* quamdam formam admittunt. Linguae
„Lituanae abundant Diminutivis. Unde a voce *Ziemia*, *terra*, adiecta syl-
„laba finali *kas*, et littera *l* diminutiva inserta, componere iis licet nomen
„*Ziemelukas* vel *Ziemeluks*, aut, secundum quorumdam pronunciationem,
„*Ziameluks*. Quo vocabulo *civem*, *popularem*, (compatriote) designant", (non
igitur *Deum Terrae*, ut vult *Bayerus*) „pariter atque Masovienses diminutivo
„*Ziemlak*."

Post haec iure mireris contrariam nominis *Zamolxis* significationem, quam, praeter illam a voce ζαλμός *pellis ursina*, deductam, affert *Porphyrius* l. c., sed ita, ut famae satis vagae et incertae eam se debere significet: τινὲς δ' ἑρμηνεύεσθαι τὸ ὄνομα φασὶ Ζάμολξιν ΞΕΝΟΣ ΑΝΗΡ. *Nonnulli autem nomen Zamolxis hominem peregrinum significare tradunt.*

vertit: *Les Gètes se croient immortels et pensent que celui qui meurt va trouver leur dieu Zamolxis*" etc. In qua sententia profecto non est quod reprehendas, nisi quod nec verba nec mentem Herodoti refert, sed universus locus ad interpretis Gallici rationem et arbitrium immutatus est et refictus. Ceterum ut sit ἀθανατίζειν *dicere, praedicare, se immortalem esse;* vel sic parum lucramur ad alterius loci sententiam: *Hoc autem modo praedicant se esse immortales: non mori sese putant* etc. Quid enim? quod non mori se *putant*, isne sit modus, quo modo *praedicent* se esse immortales?— Reiiciendam igitur esse duplicem hanc interpretandi verbi ἀθανατίζειν rationem, quamvis eruditissimi Wesselingii aliorumque suffragiis comprobatam, apparet.

Altera autem, a Iac. Gronovio inventa, ut sit *immortalibus consecrare* vel *in immortalium numerum referre*, quum citra dubium aliquot veterum locis adhibenda sit, v. c. Diodori Siculi II. 20. Philonis Iudaei Leg. Cai. p. 1005., Luc. Θε. Εκκ. 9. T. IX p. 186 Bip. aliis a Wess. ad Diodorum l. l. admotis, per se quidem satis arridet, nec certe gravem Larcheri reprehensionem meretur, dicentis (l. l. p. 506) „*Gronovius ne l'a point entendu, lorsqu'il traduit, immortalibus consecrare.*" Mihi contra videtur. Non alia de causa priorem verbi ἀθανατίζειν interpretationem repudiasse putandus est Gronovius, quam quod acute intelligeret, Herodotei loci quem attulimus sententiae eam prorsus adversari. Sed tamen recte vidit Wesselingius, Gronovianam verbi explicationem, ad Getas relatam, qui teste Herodoto (*h*), praeter suum Deum, alium nullum agnoscerent, non admodum opportunam videri: ut taceam, si verbum ἀθαν. absolute positum sic expresseris, nomen vel praenomen aliquod quo referatur, ut *se, aliquem, alios*, deesse. Verum, ni fallor, Gronovio, verbum hoc apud Arrianum (Exped. Alex. l. 3.) ita vertenti, fraudi fuit, quod Herodoti verba, Ἀθανατίζουσι δὲ τόνδε τὸν τρόπον, cum proxime sequentibus, οὔτε ἀποθνήσκειν — — Ζάλμοξιν δαίμονα· necessario iungenda, ad narrationem illa mox excipientem (cap. 94) de nuntio ad Zamolxin quinto quoque anno ablegato referri (quod longe secus est) suspicatus sit.

Denique quae princeps et propria verbi ἀθανατίζειν potestas a Küstero ad Suidam (v. Ζάμ.) affertur, *reddere immortalem*, eam, etsi primo adspectu omnium maxime se commendare videatur, in Herodoti tamen loco, quem enotavimus, admitti non posse, nemo interpretum non vidit. Quem enim reddant Getae immortalem, sese ipsos an alios, ambiguum sic relinquitur. De *aliis* quidem cogitare possis, ad locum *Platonis* respiciens (*i*), ubi Socrates *medicos* Thraces e Zamolxidis disciplina convenisse se simulans, haec addit: οἳ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν· quae Fi-

---

(*h*) IV. 94. extr. *Οὗτοι οἱ αὐτοὶ Θρήϊκες καὶ πρὸς βροντήν τε καὶ ἀστραπὴν τοξεύοντες ἄνω πρὸς τὸν οὐρανὸν, ἀπειλεῦσι τῷ θεῷ οὐδένα ἄλλον θεὸν νομίζοντες εἶναι, εἰ μὴ τὸν σφέτερον. Iidem Thraces, quum tonat fulguratque, sagittas sursum adversus caelum contorquentes, minitantur deo: nec enim alium deum censent nisi suum.*

(*i*) In Charmide p. 156 D. Opp. T. V. p. 113. Bip.

cinus vertit: *qui et immortalitatem afferre dicuntur.* Sed si vel maxime Platonis haec esset sententia (de quo dubito), huc transferri ea nequit, propter sequentia οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι haud mori *se* putant. — Sin autem *se ipsos;* nemo, opinor, dici potest immortalem se reddere eo quod non moriturum se esse arbitratur: ut nec sapientem, quod insania se carere putat, nec divitem nauclerum, quod, ut ille in Piraeo, quaecunque portum ingrediuntur, suas esse naves hallucinatur.

Excussis igitur variis interpretum sententiis, quum earum nullam Herodoti loco accommodari posse planum fecerim, ad illam quam supra ipse apposui, quum verba Γέτας τοὺς ἀθανατίζοντας interpretabar, *qui ad immortales accedunt, iis similes sunt,* revertor, eamque nec sermonis graeci consuetudini repugnare, et loco de quo agitur aptissimam videri, ostendam.

Ad primum quod attinet, ne temere hoc me contendere existimer, quum verbi activi sic absolute positi, nullo, quod dicunt, actionis *obiecto* addito, natura, tum multa activorum verborum, sensu passivo vel neutrali positorum, vetant exempla, quae ex tritissimo Vigeri libro p. 179 sqq. possunt cognosci. Praecipue autem vis haec neutralis verbis in ίζω desinentibus inest; cuius generis, praeter nostrum ἀθανατίζω, sunt λιμενίζω *speciem portus refero* (*k*), et, varie deflexa significatione, nota illa, μηδίζω, ἑλληνίζω, φιλιππίζω, πλατωνίζω, ἀττικίζω et similia, quae omnino *similitudinem* vel *imitationem* notant eius rei vel personae, a quibus formantur. Unde vel Substantiva legitimo modo derivantur, ut μέλισμα vel μελισμός a μελίζω; φιλιππισμός, μηδισμός, ἀττικισμός, et a nostro verbo ἀθανατισμός (*l*). Erit igitur ἀθανατίζειν vel ἀπαθανατίζειν hoc loco, *accedere ad immortales,* h. e. similem esse immortalibus, speciem immortalium referre. Quo posito, alterum illud quod iure postulatur, ut congrua sit interpretatio, facili efficiam negotio. Herodotus enim, vocabulo hoc ἀθανατίζειν sensu usus minus obvio, qui lectorem minus eruditum fortasse latere posset, rei quam intelligit rationem redditurus, paucis interjectis quae ad alios spectant Thraciae populos, qui Dario sine pugna se dediderant, redit ad Getas: Ἀθανατίζουσι δὲ, inquit, τόνδε τὸν τρόπον· οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν δαίμονα *Ad immortales autem accedunt* (immortalium similes sunt) *hoc potissimum modo: Et se non mori arbitrantur, et pereuntem ad deum Zamolxin abire.* Quod, verbis paulo immutatis, eadem manente sententia, idem est ac si dixisset: Quod autem Getas ad immortales accedere, immortalium similes esse dixi, ea ratio est: haud mori se arbitrantur etc. Iam in his nihil ambigui vel obscuri vel superflui aut inepti, sed omnia plana, perspicua, iusta et scriptore digna reperiri, quisque fatebitur. Eamdem autem significationem verbo ἀθανατίζειν vel ἀπαθ. non hoc tantum loco, sed quoties absolute, nullo nomine quocum iun-

---

(*k*) Cf. Hoogeweenius ad Vigerum p. 191. not. 73.

(*l*) Vid. Hoogeween. l. l. Buttmannus Gr. Gr. (1810) p. 403. Valckenarius ad Herodot. IV. 93.

gatur addito, positum invenias, fere semper admovendam esse censeo. Quo refero (praeter Herodot. V. 4), quod iam ante laudavi, Platonis in Charmide (p. 156 D.) illud: ἔμαθον δ' αὐτὴν (ἐπῳδήν) ἐγὼ ἐκεῖ ἐπὶ στρατιᾶς παρά τινος τῶν Θρᾳκῶν τῶν Ζαμόλξιδος ἰατρῶν, οἳ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν· tum Diodori Siculi I. 94. παρὰ δὲ τοῖς ὀνομαζομένοις Γέταις, τοῖς ἀπαθανατίζουσιν, Ζάμολξιν κ. τ. λ. Arriani Exp. Alex. I. 3. 11; *Luciani* etiam, ad Herodoti locum respicientis, in Scytha 1. „Hic Toxaris neque rursus ad Scythas rediit, sed Athenis mortuus est. Neque ita multo post pro heroë est habitus, sacrificantque illi ut *Hospiti medico* Athenienses: hoc enim nomen, quum heros esse iuberetur, accepit. Causam vero cognominis, et cur in heroas relatus sit, et pro Aesculapii posterorum uno habitus, enarrare haud abs re fuerit, ὡς μάθητε οὐ Σκύθαις μόνον ἐπιχώριον ὂν ἀπαθανατίζειν, καὶ πέμπειν παρὰ τὸν Ζάμολξιν, ἀλλὰ καὶ Ἀθηναίοις ἐξεῖναι θεοποιεῖν τοὺς Σκύθας ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος.« Quae male vertit *Gesnerus*: »ut discatis, non Scythis modo patrium esse, *immortalitatem credere*, et ablegare nuncios ad Zamolxin, sed Atheniensibus etiam licere deos facere in ipsa Graecia Scythas:« haud multo melius *Belin de Ballu* (*m*): »Vous saurez par là que ce n'est pas un usage particulier à la nation des Scythes *de donner l'immortalité à des hommes*, et d'envoyer des ambassadeurs à Zamolxis; mais que les Athéniens, au sein même de la Grèce, ont aussi le droit de faire un Dieu d'un Scythe.« Nam immortalitatem hominibus Scythas dedisse, vix aliunde constat, nec, quomodo darent, satis intelligi potest; neque eo pertinet, quod e suis (*n*) aliquem sorte electum quinto quoque anno Deo suo immolarent, dicentes ad Zamolxin eum nuncium cum mandatis ablegare. Libelli auctor, sive Lucianus sive alius quis sit, ut dixi, ad Herodoti narrationem de Getis, qui interdum Scythis vicinis, trans Istrum habitantibus, annumerantur (quemadmodum ipse Zamolxis Suidae dicitur Σκύθης), manifesto respexit. Iam in narratione hac duo praecipua observantur, primum ἀθανατισμός, tum ablegatio ad Zamolxin. Utrumque coniungit libelli auctor, et ad suum consilium detorquet, dicens: ut discatis, non Scythis solum patrium esse ad immortales accedere et ad Zamolxin ablegare, sed Atheniensibus etiam licere, in ipsa Graecia deos facere Scythas. Quodsi universam dicti sententiam sic constituis, nihil cogit, ut verbum ἀπαθανατίζειν absolute positum activa vel transitiva, quam vocant, significatione, *in immortalium s. deorum numerum referre, consecrare*, accipias. Immo id fieri vetat nominis quo verbum referatur absentia. — Neque diversa ratione Suidae v. Ζάμολξις, *Terizi* et *Crobizi* ἀθανατίζειν dicuntur, utpote Thraciae item populi Getis vicini,

---

(*m*) Oeuvres de Lucien T. II. p. 53. sq.

(*n*) Unde *Belinius* resciverit, *senem* hunc fuisse, ignoro. Nec *singulis annis*, ut *Clementem Alexandrinum* secutus (Strom. IV. p. 590), prodit in nota contextui subiecta, atrox hoc sacrificium humanum peractum est, sed, *Herodoto* auctore, *δια πεντετηρίδος quinto quoque anno.*

qui eumdem Zamolxin auguste sancteque consecrasse ibidem leguntur (*o*).

Sed aliud praeterea est in loco Herodoteo, nec parvi illud, ut mihi videtur, momenti, quod interpretum fugit diligentiam. Graeca verba sic se habent: *οὔτε ἀποθνήσκειν ἑωυτοὺς νομίζουσι, ἰέναι τε τὸν ἀπολλύμενον παρὰ Ζάλμοξιν δαίμονα.* Quae *Schweighaeuserus* latina fecit: »*Non* mori sese putant, *sed hac ex vita decedentes* ad Zamolxin deum ire.« *Larcherus*, suppressis, ut ante dixi, verbis, *οὔτε — νομίζουσι*, post illa »*Les Gètes se croient immortels*« pergit: »*et pensent que celui qui meurt va trouver leur dieu Zalmoxis.*« Primo oppositionem verborum *ἑωυτοὺς* et *τὸν ἀπολλύμενον*, neuter expressit. Deinde *τὸν ἀπολλύμενον de moriente* intellexerunt. Schweighaeuserus quidem paulo lenius: *hac ex vita decedentes*, sed vel sic praeter scriptoris sententiam. Quis enim non videt, Herodotum participium *ἀπολλύμενον* consulto adhibuisse, quum vulgare *ἀποθνήσκοντα*, *morientem*, et verbis praegressis *οὔτε ἑωυτοὺς ἀποθνήσκειν νομίζουσι* *non mori se putant*, et rei ipsi quam significare voluit repugnaret. Ne multa. Non, *morientem* sive *ex hac vita decedentem*, sed, *pereuntem*, nimirum bello, pugna, vi illata, designare voluit. Vertendum igitur: *Nec mori se putant*, *et* (bello aut vi) *pereuntem abire ad deum Zamolxin* h. e. Et se haud mori putant, et eum qui (caede illata) perit, haud mori, sed abire rel. (*p*). Quum *se*, numero multitudinis, dicit, et opponit *τὸν ἀπολλύμενον*; cunctis Getis, ex eorum opinione, quasi proprium et peculiare ponit, mortis esse expertes, mortem haud subire, quae nec ei timenda sit, qui in pugna interficiatur aut vi pereat, quandoquidem ad Deum suum Zamolxin concedat.

Quae hactenus ab Herodoto tradi vidimus, ex iis nihil aliud efficitur nisi hoc: *apud Getas Zamolxin deum haberi colique; ad hunc, putare eos, abire qui contra hostem pugnando vel vi caesus occumbat; haud enim se mori esse sibi persuasum.* Tantum Herodotus, inter Getas ipse versatus, compererat. Mox, alio insuper dei Getici nomine commemorato (*οἱ δὲ αὐτέων τὸν αὐτὸν τοῦτον νομίζουσι Γεβελέϊζιν*), refert quae de sacrificio humano, quinto quoque anno Zamolxidi peragi solito, sibi innotuerant, eiusque sacrificii peragendi modo rituque singulari descripto, moris quoque superstitiosi cuiusdam, apud eumdem populum qui invaluerat, facit mentionem (*q*). Quae hinc sequitur (cap. 95.) de Zamolxide quondam homine et Pythagorae philosophi servo manumisso narratio, ab insequentibus scriptoribus toties recocta, eam a Graecis, ad Hellespontum Pontumque Euxinum habitantibus, accepisse se ipse fatetur, cu-

---

(*o*) *Ἀθανατίζουσι δὲ καὶ Κροβίζοι, καὶ τοὺς ἀποθανόντας εἰς Ζάμολξιν φασὶν οἴχεσθαι.*

(*p*) Probe quidem scio, *τε* particulam, post *οὔτε* vel *μήτε* aliud orationis membrum incipiens, nonnunquam adversativae particulae *sed*, *immo*, vim habere, ut apud Xenophontem Anab. II. 2. 4. Cyrop. III. 1. 6. Platonem Legg. II. p. 655 extr. p. 54 Ast. Sed h. l., ut alibi apud Herodotum, non nisi copulat aientem enunciationem cum negante. Vide IV. 148. V. 49. VI. 1. VI. 68.

(*q*) Cf. Not. 32.

ius fidem vult penes esse auctores (*r*), id solum de sua ipsius opinione interponens, Zamolxin hunc sibi videri Pythagora multis annis antiquiorem. (*s*)

Sic ille catus atque cordatus antiquae historiae parens, ac diligentissimus per multas, tum humanitatis cultu mansuefactas, tum barbaras ac feroces gentes peregrinator. Cuius exemplum si semper imitati essent qui post eum populorum historias condidere, aut antiquiorum libros satis dissolute ac perfunctorie compilarunt; nae fortasse etiam de Getis, eorumque credito deo Zamolxide veriora, saltem fide digniora teneremus. Sed de his alio forsitan loco et tempore videbimus. Interea ex Herodoto nostro tantum nos discere meminisse iuvabit, nullum *de animorum humanorum immortalitate*, ne de *hominum* quidem *omnino* post mortem statu et conditione, placitum aliquod philosophicum h. e. idoneis argumentis et rationibus fultum, apud Getas, ferocem quippe ac barbaram gentem, quae sacrificiis adeo humanis numen suum placaret, esse quaerendum; sed quaecunque de iis narrentur, eo redire, ut *se ipsos* solum, *non omnes omnino homines*, immortales esse, neque vita privari, sed sedes tantum ac domicilia mutare, ad deum quippe *suum* abituros, cum eoque reliquum vitae, multis bonis cumulatos, transacturos, credidisse videantur, nullo inter corpus et animam subtiliore facto discrimine; idque iis sic persuasum esse videatur viri cuiusdam, quem pro deo habebant, et Zamolxidis vel Gebeleïzis nomine invocabant, non rationibus, aut disciplina quadam arcana, sed consilio et artibus, quibus populum rudem ad fortitudinem magis accenderet, efficeretque, ut animo intrepido belli pericula adirent, mortemque contemnerent.—

Vobis autem, Commilitones Ornatissimi, iam properandum est ad disciplinarum, quae in tabula sequente discendae Vobis proponuntur, ambitum et varia genera cognoscenda, ut bonis litteris mentem atque ingenium divinitus vobis impertitum alendi ornandique eo acriore studio teneamini, quo certius vobis persuasum esse velimus, hac via et magis idoneos, et digniores vos reddi, qui animorum vestrorum immortalitate, quam et ratio suadet, et sanctior, cui addicti estis, disciplina certissimis argumentis sperare iubet, aliquando fruamini.

(*r*) Cap. 96. *Ἐγὼ δὲ περὶ μὲν τούτου... οὔτε ἀπιστέω, οὔτε ὦν πιστεύω τι λίην. Ego vero, quae de hoc* (Zamolxi) *narrantur, neque negare velim, neque fidem admodum his adhibeo.* Et paulo post: *εἴτε δὲ ἐγένετό τις Ζάλμοξις ἄνθρωπος, εἴτ᾽ ἔστι δαίμων τις Γέτῃσι οὗτος ἐπιχώριος, χαιρέτω. Sive autem homo quispiam fuerit hic Zamolxis, sive indigena Getarum deus, valeat ille* h. e. missum facio, de eo in praesens quaerere non libet.

(*s*) *Δοκέω δὲ πολλοῖσι ἔτεσι πρότερον τὸν Ζάλμοξιν τοῦτον γενέσθαι Πυθαγόρεω.*

I.

PRAELECTIONES PHYSICORVM ET MATHEMATICORVM.

B. STANISLAVS JVNDZIŁŁ, Phil. et Theol. D., Reg. Societ. Litt. et Oecon. Vars., Caesar. Societ. Mosquens. Scrutat. naturae Sodalis, Botanices et Zoologiae Prof. P. O. diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab hora II ad IV^tae^ dimidium, primo Zoologiam universam ita tradet, ut notionibus de natura animalium generatim expositis, eorumque classibus et ordinibus ad recentissimas virorum doctorum animadversiones descriptis, genera omnia et species singillatim percenseantur, eorumque, maxime indigenarum, patria, mores, usus etc. indicentur. Deinde Botanices doctrinam expositurus, praemissa brevi disciplinae huius historia, 1. Elementorum a se vulgatorum ductu Physiologiam vegetabilium explanabit; 2. Terminologiam botanicam docebit totam; 3. Varia, quae dicuntur, systemata, ad scientiae huius studia allevanda iuvendaque a viris celeberrimis excogitata, suo iudicio interposito, enarrabit, rationem Linneanam prae ceteris diligenter penitusque cogniturus. 4. Denique plantarum generum ac specierum ad methodum sexualem determinationem ostendet, tum Horti Botanici copiis adhibitis, tum excursionibus botanicis unacum auditoribus suis usurus.

ANDREAS SNIADECKI, Phil. ac Med. D., a Consiliis Status, Reg. Soc. Litt. Vars. Sodalis, Chemiae Prof. P. O. Elementa Chemiae Universae ad Institutionum suarum novissimam editionem exponet, experimentisque in publico Laboratorio agendis, quoad eius fieri possit, firmare conabitur diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris ab horae XI^mae^ dimidio ad XII.

ZACHARIAS NIEMCZEWSKI, Phil. D., Societ. Ital. Sodalis, Matheseos sublimioris applicatae Prof. P. O., Ordinis huius h. t. Decanus, diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab horae VIII^vae^ dimidio ad IX. exponet principia Calculi differentialis regulasque differentiandi omnes functiones unius vel plurium variabilium tradet, tum usum eiusdem in inveniendis maximis et minimis quantitatibus functionum unius vel duarum variabilium, in investigandis proprietatibus Curvarum superiorum ordinum, demonstrabit. Perget hinc ad Calculi integralis tractationem, ibique 1. de

integratione aget functionum unius variabilis, qualescunque eae sint functiones, commensurabiles, incommensurabiles, integrae aut fractae, algebraicae vel transcendentes; 2. de integratione aequationum differentialium omnium ordinum, quo loco praecipue disseret de separatione variabilium, de inveniendo factore, cuius ope aequatio differentialis in nonnullis casibus fit integrabilis, deque solutionibus particularibus; 3. de integratione differentialium partialium omnium ordinum. Denique explicabit Methodum Variationum, cuius latissimus usus est in Mechanica caelesti et analytica. Postremo tradet Mechanicam, ubi leges aequilibrii, parallelogramma virium ac leges motus, ope analyseos exponet.

CAIETANVS KRASSOWSKI, Phil. D., Vniversitatis Adiunctus, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, ab hora IX ad XI^{mae} dimidium Physicam generalem traditurus, praemissis notionibus de universis corporum proprietatibus, statim perget ad expositionem Staticae et Dynamicae solidorum et liquidorum in genere; quibus absolutis, sequentur tractatus de Calorico, Aqua, Aëre, Electricitate et Magnetismo; postremo doctrina de Luce, cuius singulas partes accurate exponet.

IGNATIVS HORODECKI, Phil. D., a Cons. Aul., Universitatis Adiunctus, Mineralogiam ad principia Werneriana a Felice Drzewińskio Phil. D. Vnivers., Adiuncto polonice edita, tradet diebus Solis, Merc. et Sat. ab horae III dimidio ad IV pomeridianam. Descriptis scientiae huius partibus, et indicatis corporum fossilium formis, quibus reperiuntur, praecipuis, in classes, systematis Werneriani ductu, ea dividet, eiusque divisionis rationem in diversis eorum signis notisque monstrabit. Tum accedet ad exponendam primam partem Mineralogiae quam Oryctognosiam vocant, quaeque in fossilibus simplicibus versatur; imprimis enumerabit characteres fossilium, disseret de characteribus externis, enucleabit Werneri in designandis formis crystallorum rationem, et systematum mineralogicorum Werneri et Hauyi fundamenta ostendet. Deinde systema Wernerianum secuturus, describet singula fossilia, recensebit cuiusque characteres externos et chemicos, patriam, situm in terra, usum et nomina, quibus a celeberrimis Mineralogiae Magistris insigniuntur, ac monstrabit perfecta omnium specierum exemplaria. Oryctognosiam excipiet Geognosia, sive doctrina de saxis et montibus, ubi describentur species petrarum; enarrabuntur partes quibus conglobantur saxa; exponetur ordo quo rupes diversae, juxta positae, montes formant segregatos, vel una copulatos; deinde agetur de petrificationibus, indicabitur ratio, cur organica corpora cum fossilibus mixta sint, et quomodo induruerint; describentur quoque species petrarum in quibus continentur corpora petrefacta; post quae omnia opiniones placitaque de variarum rupium ad se invicem relata vetustate colliget. Denique disputabit de fossilibus nuper repertis, quorum indoles et proprietates nondum innotuere.

PETRUS SŁAWINSKI, Fil. D., diebus Lunae et Jovis ab hora VIII matutina ad IX, diebus autem Saturni ab horae XI^{mae} dimidio ad XII^{mae} dimidium astronomicas lectiones hoc ordine tradet: Primo trigonometriam sphaericam duce Joanne Sniadeckio analytice exponet: ubi ex una aequatione fundamentali tres principales eruet, ex his vero aequationes Cognoli, Delambrii et Neperi quae dicuntur evolvet, monstrabitque omnes casus, qui ad resolvendum triangulum sphaericum requiruntur, hac doctrina contineri. Explanabit notionem Sphaerae, et circulorum, qui in ea finguntur, originem, proprietates, et usum in locis corporum caelestium definiendis. Quae potissimum ad observationes rite peragendas scitu digna occurrunt in fabrica et usu organorum astronomicorum, commemorabit. Post divisionem corporum caelestium explicabit ordinem systematis solaris, motum terrae diurnum et periodicum, indeque pendentia mundi phaenomena. Disseret postea de tempore, eius divisione, et de methodo convertendi tempus unum in aliud. Usum trigonometriae sphaericae in resolvendis problematibus astronomicis, praesertim quae ad positiones astrorum spectant, docebit: et loca vera ab apparentibus quomodo distinguantur fusius ostendet, ideoque calculum refractionis, parallaxeos, praecessionis, aberrationis, et nutationis enarrabit. Et si tempus non deerit, formulas paralacticas latius pertractabit, earum usum in calculo eclipsium Solarium, occultationum fixarum et planetarum per Lunam demonstrans.

ANTONIUS WYRWICZ Phil. D., diebus Lunae et Jovis ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Martis autem et Veneris a IX ad XI^{mae} dimidium, universae Algebrae principia, Joanne Sniadeckio duce, hoc ordine exponet 1. Cunctis operationibus, tam in simplicibus, quam in exponentialibus, radicalibus, et imaginariis quantitatibus, monstratis, aequationes determinatas, indeterminatas inferiorum atque superiorum graduum illas tractabit. Quibus accedet explicatio seriorum reccurrentium, methodusque inveniendi terminum generalem et summas serierum, ubi natura et proprietates fractionum continuarum explanabuntur: deinceps sequetur tractatio de functionibus transcendentibus logaritihmicis scilicet et arcubus circulorum simulque de tabularum tam logarithmicarum quam trigonometricarum condendarum ratione, earumque usu. 2. Applicationem Algebrae ad lineas curvas docebit, exposita primo doctrina analytica de linea recta et plano, et variis utriusque positionibus definiendis. Lineas denique secundi ordinis, sectionum conicarum nomine notatas, omnesque earum proprietates ex aequationibus secundi gradus eruet et demonstrabit.

II.

PRAELECTIONES MEDICORVM.

JOANNES ANDREAS LOBENWEIN, Med. et Chir. D., Status a Consiliis, Caes. Acad. Scient. Petropolitanae, Collegii Praefectorum rei Medicae, et Caes. Societ. Philantrop. Petropol. Sodalis; Universitatis Litterarum Cracoviensis atque Casanensis Membrum honorarium; Universitatis Caesareae Vilnensis Professor Anatomiae humanae et Medicinae forensis Publ. Ordin. et Ordinis Medicorum Decanus, corporis humani structuram et fabricam exponet diebus Martis et Veneris ab hora IX. ad XI^{mae} dimidium, diebus autem Mercurii et Saturni ab XI^{mae} dimidio ad XII. Ab ossibus quidem, totius utique corporis fundamento, initio facto, reliquas deinceps eius partes ad unam omnes eo demonstrabit ordine, quem corpora, ad dissectionum usum paranda, pro diverso anni tempore admittent; in ipsis autem praelectionibus universam Anatomiae disciplinam ad sua dictata traditurus, tironibus repetitionis gratia classicum Hildebrandi opus anatomicum commendabit praecipue, aut illud recentius Brandtii, lingua vernacula editum, breviusve idiomate latino Rosenmülleri compendium.

Idem diebus Mercurii et Saturni ab hora III. ad IV^{tam}, forensem tradet Medicinam duce Metzgero, ex versione latina Keupii, tum Gruneri ad editionem quartam, tum suas annotationes additurus.

AVGVSTUS BECV, Phil. et Med. D., a Cons. Aul., ordinis S. Vladimiri IV. classis Eques, Reg. Soc. Vars. et Jener. Londin. Sodalis, Pathologiae et Hygienae Prof. P. O. diebus Lun. Merc. Iov. et Sat. ab hora IX usque ad XI^{mae} dimidium, exponet Pathologiam generalem et specialem, sua elementa secuturus; Mensibus autem aestivis, diebus et horis serius designandis, praemissis Anatomiae et Physiologiae popularis praeceptis, Hygienam docebit, Clericorum Seminarii Vilnensis usibus praecipue accommodatam, cui Politiae medicae capita nonnulla, quantum in eorum rem fuerit, subiunget.

FERDINANDVS SPITZNAGEL, Med. et Chir. D., Status a Consiliis, Caes. Soc. Mosqu. Scrut. Nat. Sodalis, Therapiae generalis et Materiae Medicae Prof. P. O., diebus Lun. Mart. Jov. et Vener. ab horae XI^{mae} matut. dimidio usque ad XII primo Therapiam docebit generalem, quacum Materiam medicam generalem et Pharmacocatagraphologiam, seu methodum formulas medicas praescribendi, coniunget. His absolutis, in Materia medica speciali tractabit singula corpora medica plus minus usitata, copiosius autem de iis disseret, quae in potioribus Europae pharmacorum officinis, maxime vero in Pharmacopoea Rossica et Pharmocopoea castrensi Ruthenica

asservata prostant. Postremo Toxicologiam sive doctrinam de venenis exponet, eorumque noxam, antidota, et, si quis est, in re medica usum ostendet.

JOSEPHUS FRANK, Phil. et Med. D., Coll. a Cons., Collegii Praefectorum rei medicae Sodalis, Ordinis S. Vladimiri IV classis Eques, Therapiae specialis et Clinices Prof. P. O., quotidie ab hora VIII matutina ad IX, in nosocomio clinico doctrinam medicam curandis morbis aptabit, tradetque sexies per hebdomadam, ab hora IX ad X, ad praecepta sua Praxeos medicae, eam Therapiae specialis partem, quae ad morbos oris, oesophagi, viscerum abdominalium, uropoiieticorum et partium genitalium spectat. Neque deerit clinicis occupationibus in nosocomio hora V ad VI vespert.

VENCESLAUS PELIKAN, Med. et Chir. D., Caesareae Med. Chir. Academiae Petropolit. Socius litterarum commerciis conjunctus, Chirurgiae et Clinices Chirurgicae Prof. P. O. diebus Martis, Jovis et Veneris ab horae VIII dim. ad IX, die Saturni vero ab XI dim. ad XII. Chirurgiam universam docebit. Declaratis igitur disciplinae hujus argumento, utilitate atque nexu cum aliis Medicinae partibus, ad tractanda singula capita Chirurgiae tum generalis tum specialis accedet. Denique usum fasciarum machinarumque ostendet et operationes cruentas instrumentorum ope acutorum perficiendas, in cadaveribus demonstrabit. Praeterea in nosocomio Clinico Chirurgico quotidie hora X^ma matutina et V^ta pomeridiana, disciplinae suae Alumnos, quomodo doctrinam studio comparatam ad usum accomodari oporteat, exemplis docebit.

LVDOVICVS HENRICVS BOIANVS, Med. et Chir. D., Coll. a Cons., Ord. S. Vladimiri IV cl. Eques, Caesar. Acad. Scient. et Medico-Chir. Petropolit., Societ. nat. curios. Mosqu. aliisq. Societ. litt. adscriptus Veterinariae Medicinae et Anatomes comparatae Prof. P. O. 1. Diebus Lun. Mart. Iov. et Vener. ab horae II dimid. ad III Veterinariae Medicinae praecepta tradet. 2. Opera in Instituto practico veterinario tractanda diriget, ex iisque quae huic consilio idonea visa fuerint, in praelectionum usum convertet, 3. Anatomes comparatae lectionibus, diebus Merc. et Sat. iisdem horis habendis Protozoorum, polyporum, animalium radiatorum et molluscorum, vermium intestinorum et exterorum, insectorum, crustaceorum, Arachnidum, piscium, amphibiorum, avium, denique mammalium fabricam exponet, eamque ipsorum animalium sectione, vel praeparatorum, in Museo zootomico suis curis collectorum, ope illustrabit; in auxilium vocatis, ubi necesse fuerit, lineamentis in tabula nigra ducendis.

IOANNES WOLFFGANG, Phil. D., a Cons. Aul., Pharmacologiae et Pharmaciae Prof. P. E. diebus Lu. Mart. et Iov. ab h. II ad IV^tae dimidium, priore semestri, praemissa brevi utriusque disciplinae historia, tradet doctrinam

de medicamentis simplicibus seu Pharmocologiam, in qua propositis omnibus corporibus, e triplici naturae regno in medicina usurpari solitis, eorumdem classes, ordines, genera et species indicabit; singulorumque exponet characteres, indolem, patriam, tempus, acquirendi vel colligendi et conservandi rationem; atque his omnibus adiunget criteria, quorum ope medicamenta bonae notae ab adulteratis, corruptis et falsis distinguere liceat. Altero tum semestri ad doctrinam de medicamentis compositis seu Pharmaciam perrecturus, explicatis primum iis omnibus conditionibus et regulis, quae ad Imperii leges, vel expeditionem formularum a medicis praescriptarum, vel calculi artem in Pharmacopoliis tenendam, vel denique ipsos Pharmacopoeos proxime spectant; describet cuiuslibet speciatim praeparati pharmaco-chemici normam praeparandi, operationes pharmaceuticas in laboratorio coram auditoribus perficiet, theoriam earum et singulas proprietates tam physicas quam chemicas docebit, ut bona indoles dati pharmaci, vel circa illud fraus commissa, ope reagentium ubique detegi possit.

NICOLAUS MIANOWSKI, Phil. Med. et Chir. D., a Cons. Aul. Reg. Societ. Litter. et Oeconom. Vars. Sodalis, Prof. P. E. Artis Obstetriciae lectiones a se habendas ita disponet, ut 1) virilis sexus discipulis per totum annum, quem vocant scholasticum, Lunae, Mercurii et Saturni diebus ab horae VIII matutinae dimidio ad horam IX universae artis praecepta Froriepio duce tradat. 2) feminis, obstetricum munere in Imperio Rossico fungendi potestatem quaerentibus a Kalendis Januariis anni proxime sequentis MDCCCXIX bis per hebdomadem, Martis et Veneris diebus ab hora IX matutina usque ad XI^{mae} dimidium elementa in obstetricum usum nuper a se Vilnae edita exponat. Praeterea artis obstetriciae exercitationes in nosocomio parturientium et puerperarum Academico, in utriusque sexus auditorum gratiam rite moderabitur.

MICHAEL HOMOLICKI, Med. D., Physiologiam docebit diebus Mart. Jov. et Ven. ab horae VIII matutinae dimidio ad IX. Universa de vita doctrina ad Andreae Sniadeckii V. Cl. Theoriam corporum organicorum strictim tradita, physiologiam corporis humani uberius ita exponet, ut in singulis functionibus accuratius tractandis, rerum ordinem a Bichatio institutum, a Sprengelio autem, Richerando et Magendio VV. Cll. perfectum, servet, potiora tamen huius disciplinae principia ad Andreae Sniadeckii in laudato opere sententiam explicet. Cuncta vero physiologiae hominis praecepta et animadversionibus et experimentis doctissimorum virorum, qui nostra potissimum aetate inclaruerunt, firmanda vel locupletanda, et observationibus quas Anatomia comparata suppeditabit passim illustranda curabit.

VINCENTII HERBERSKII, Med. D., Universitatis Adjuncti, exteras Medicorum scholas Academiae iussu nunc visentis,

vices in Nosocomio clinico geret Franciscus Wróblewski Medico-Chirurgus.

ANTONIVS KIERSNOWSKI, Medicus, Anatomiae humanae Prosector, repetitiones anatomicas instituet diebus Lu. Mart. et Iovis post meridiem ab horae III dimidio ad horae IV dimidium; horis autem vespertinis, serius indicandis, studiosorum operam in dissectionum anatomicarum periculis faciendis, invigilante Anatomiae Professore, moderabitur.

III.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM DISCIPLINARVM ETHICO-POLITICARVM

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Juris Utr. D., Iuris Civilis et Poenalis veterum et recentiorum celebriorum

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Juris Utr. D., Iuris Civilis et Poenalis veterum et recentiorum celebriorum gentium et Iuris Canonici Prof. P. O., cum superiore anno primum Jurisprudentiae civilis obiectum explanaverit, hoc anno diebus Martis et Veneris ab horae XI^{ae} dimidio ad XII, in secundo eiusdem obiecto illustrando ita versabitur, ut 1. de Possessione, modisque ipsius acquirendae vel amittendae: 2. de Juribus tum realibus tum personalibus agat, et quidem a) notionem, originem, qualitates, divisionem, iura dominii, modosque omnes, quibus in civitate rerum dominium acquiritur exponat: b) Principia generalia de Conventionibus, atque Contractuum omnium, qui iniri solent inter homines, peculiarem naturam, indolem, atque effectus legitimos determinet.

Diebus Mercurii et Saturni, hora eadem, distributis criminibus in ea, quae publicam securitatem directe laedunt, et ea, quae nonnisi oblique eamdem pessumdant, referet ad priora a) laesiones tendentes ad evertendam Rempublicam b) usurpationes iurium maiestaticorum: ad secunda vero a) crimina, quibus laeduntur cives aut in vita, aut in corporis integritate, aut in libertate, aut in fama, aut in bonis: b) violationes institutorum civilium quorum is finis est ut maior civitatis perfectio obtineatur. Dumque in peculiarem naturam et indolem cuiuscunque criminis inquiret, poenas enarrabit, quae gentibus tum veteribus tum recentioribus ad delicta coercenda visae sunt.

Tandem diebus Lunae et Jovis ab hora XI ad XII aget I. de Personis Ecclesiasticis ac singillatim a) de aditu ad statum clericalem, b) de officiis ac iuribus Clericorum, c) de Clero Regulari, d) de beneficiis ecclesiasticis: II. de Rebus Ecclesiasticis, ideoque a) de rebus spiritualibus, b) de rebus sacris et religiosis, c) de Matrimonio eiusque impedimentis tum impedientibus tum dirimentibus, d) de bonis ecclesiasticis: III.

de Judiciis Ecclesiasticis ac a) de modo procedendi in Judiciis ecclesiasticis, b) de delictis et poenis ecclesiasticis duce Enchiridio prae ceteris commendando, quod primum idiomate germanico Lincii edidit, ac nuper latinitate donavit Georgius Rechberger.

IOANNES ZNOSKO Phil. D., Regiae Societatis Litter. Varsav. Sodalis, a Cons. Aul., Oeconomiae politicae Prof. P. O., diebus Lunae et Iovis ab horae VIII dimidio ad IX, Martis vero et Veneris ab hora IX ad X et dimidium 1. Oeconomiam politicam proprie sic dictam aeque ac doctrinam de reditibus publicis ad Elementa vernaculo sermone a se vulgata enarrabit, rationem Adami Smith potissimum explicaturus, additis recentiorum hac de re scriptorum opininiobus. 2. Rei mercatoriae disciplinam tradet duce Büschio.

JOANNES CZERNIAWSKI, Phil. D., Coll. a Cons. Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. P. O. Historiae Rossicae lectiones auspicabitur a notitia gestium, quae regiones huius Imperii, sub adventum Rurici, incoluere, plagarumque ab illis antiquitus occupatarum. Deinde Historiam Rossicam ordine pertractabit ad sua dictata.

ANDREAS KŁĄGIEWICZ, Phil. et Theol. D., Can. Kamenec., Theologiae Dogm. et Historiae Eccles. Professor P. O. Theologiam Dogm. diebus Martis et Mercurii, ab hora VIII ad IX et dimidium, ad Klüpfelii rationem, tractare perget; absolutisque quae de Deo humani generis Redemptore dicenda supersunt, tradet doctrinam de Deo felicitatis nostrae largitore, et vias ad eam consequendam indicabit, in quibus praecipuo loco habentur Verbum Dei, Gratia et Sacramenta in Ecclesia eiusdem Dei auctoritate instituta. Postremo disseret de Extremis, seu de iis, quae hominem immortalitatis munere fruentem manent post mortem.

Idem iisdem horis, Iovis autem et Veneris diebus Historiam ecclesiasticam, Gmeinero duce, inde a medio aevo usque ad recentiora tempora enarrabit: ne vero ad pleniorem rerum in Ecclesia gestarum cognitionem assequendam quidquam desideretur; loca difficiliora aut minus apte exposita, pro rei ac temporis ratione, e suis commentariis illustrare conabitur.

IOANNES CANTIUS CHODANI, Theol. D., Theologiae Moralis et Pastoralis Prof. P. O. Ordinis scientiarum Ethico-Politicarum Decanus. Diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris ab horae X^mae^ dimidio ad XI^mam^ Teologiae Pastoralis Systema duce viro clarissimo Mauro de Schenkl explicabit.

SIMON FELIX ŻUKOWSKI, Vniversitatis Adiunctus, diebus Merc. et Ven. ab hora V. pomeridiana ad VI hebraici sermonis praecepta tradet, et Chrestomathiam Vateri V. Cl. explicabit. Idem Iahnii V. Celeb. Archaeologiam Biblicam vernaculo sermone exponet.

JOANNES CHRYSOSTOMUS GINTYŁŁO, Theol. Magister,

diebus, Lun. Merc. Vener. et Sat. ab hora IV ad V. Deresero et Rosenmüllero ducibus, librorum historicorum Vet. Test. interpretationem, praeterito anno affectam, continuabit.

IGNATIUS DANIŁOWICZ, Jur. Civ. Magist. Jus Civile Patrium, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora III ad IV pomeridianam vernaculo sermone ad sua dictata traditurus, quum anno praeterito de personis, rerum divisione, et modis acquirendi earum dominium disseruerit; hoc anno, expositis legibus de Successione testamentaria et ab intestato, tum iis quae de Contractibus in Juris patrii scientia praecipiuntur, nonnulla de Judiciis subiunget, legum Imperii Rossici ratione semper habita.

ANGELUS DOWGIRD, Scholarum Piarum, praecepta artis Logicae traditurus diebus Martis et Jovis ab hora VIII matutina usque ad horam IX primo ea omnia, quae in libello recentissime edito, auctore Patritio Przeczytański Schol. Piarum, compendiario modo tractata sunt, uberius sermone vernaculo explicabit. Videlicet, exposita breviter significatione Logices tum naturalis tum artificialis, et utriusque differentia, tractabit imprimis de sensibilitate seu de facultate sensationum, cui etiam explanandae paulo diutius immorabitur, utpote quae prima mentis facultas habetur, a cuius perfecta analysi pendeat notio ceterarum facultatum. Mox aget de intellectu, de comparatione, de reflexione seu cognitione sui, de iudicio coniecturali, de societatis ad acquirendas ideas vi, de mutuo nexu notionum cum suis signis seu terminis, de methodo analytica atque synthetica, utriusque natura, differentia et usu. His subiunget criteria veritatis, respectu ad varia propositionum genera habita. Deinde de Ratiocinatione disseret, atque docebit in quo potissimum consistat omnis vis argumentationum, et quomodo dignoscendae sint argumentationes sophisticae a veris. Tum naturam et leges probabilitatis, hypotheseos atque analogiae exponet. Denique, ubi tempus erit, analysin criticam principiorum, quibus innititur Philosophia transcendentalis Cl. V. Immanuelis Kantii, instituet, facta etiam celebriorum systematum, quae ex illius schola prodierunt, mentione. Ceterum in lectionis perpetuitate, quacunque data occasione, argumenta Philosophorum qui Idealistae dicuntur refutabit.

IV.

PRAELECTIONES IN ORDINE PROFESSORVM LITTERATVRAE ET ARTIVM ELEGANTIORUM.

GODOFREDUS ERNESTUS GRODDECK, Phil. D., Linguae et Litterarum Graecarum et Romanarum Prof. P. O. quater per hebdom. Lu. Mar. Jov. et Ven. diebus h. X. matut. Pindarum et Platonem, iisdemque diebus h. II. pomerid. Horatium et Ciceronem enarrabit. Bis autem, Merc. et Sat. diebus h. X. historiae Graecarum litterarum elementa; h. II. Antiquitates Romanas tradet.

IOANNES CZERNIAWSKI, Phil. D., Col. a Cons., Linguae, Litteraturae ac Historiae Rossicae Prof. P. O. quotidie, Solis die excepta, ab hora IX matut. ad X. praemissa ad dictata sua eorum, quae, quoad originem litterarum, artium liberalium ac disciplinarum, earumque in Imperio Rossico vel progressus vel decrementa enarratione, Linguae Rossicae tradet praecepta et indolem, subiungetque notitiam litterarum Slavicarum aeque ac Glagoliticarum, librorumque his typis excusorum. Deinde poëseos ac pedestris orationis variis generibus descriptis, praecipua monumenta Rossicorum Scriptorum, qui in alterutro genere inclaruerunt, exponet. Denique Rossice vertendi ac scribendi exercitationes indicet et moderabitur.

IOSEPHUS SAUNDERS, Caesar. Acad. Petrop. et Stockholm. Sodalis, Phil. D., Chalcographiae, Artium elegantiorum ac Litterarum Anglicarum Prof. P. O. Lun. et Ven. diebus ab hora V ad VII^ae^ dimidium, ad dictata sua, Gallo-Francorum utens sermone, alteram institutionis et disciplinae suae partem exponet, ab artis philosophia incipiens, addita vocabulorum in artibus tradendis receptorum, sive formularum, explicatione, artium liberalium disquiret initia, incrementa, florem, vicissitudines, interitum, apud veteres populos, maxime apud Indos, Hebraeos, Aegyptios, Persas, Etruscos, Graecos et Romanos. Porro earum vim ad humanitatis, morum, vitaeque cultum declarabit, et varios usus indicabit, quos Politicae, rerum commerciis, historiae, litterarum studiis omnino eae afferre putandae sint: tum, quibus rebus ad earum incrementa et perfectionem opus sit, quidque diversi caeli tractus ac regiones eo conferant, ostendet. 2. Martis et Jovis diebus ab hora V ad VII^mae^ dimidium, nunc Franco-Gallorum, nunc Anglorum lingua utens, Litteraturae Anglicae elementa tradet, ac primo Adami Smithii Theory of Moral sentiments, tum Fergusonis Civil Society, Addissonis Spectatorem et Knoxii Moral Essays; de-

nique Walteri Scoti Lady of the Lake etc. Collini et Grayi Odas, Miltonis Paradise lost, et Schakespearii select tragedies explicabit. 3. Artis Chalcographiae studiosorum exercitationes reget quotidie, Solis diebus exceptis, ab hora VIII matutina usque ad meridiem.

ALOYSIVS CAPPELLI, Phil. et Iuris Vtr. D. Civ. Poen. et Can. Prof. P. O. diebus Mer. et Satur. ab hora V ad VI. loca selecta e poëmatibus epicis Torquati Tassi et Ludovici Areosti, selecta carmina Vincentii Monti qui merito principibus nostri aevi inseritur Vatibus, et Victorii Alfieri Virginiam interpretabitur, ac, si per tempus licebit, historiam Litteraturae Italicae ordietur ab origine et progressu Italicae linguae, ubi quantum praestantissimi viri Hetruria orti Dantes, Petrarca, Boccacius et Salutatus non eidem tantum linguae perpoliendae, sed omni rei litterariae augendae, ac litteris ipsis ab interitu vindicandis contulerint, facile se praebebit dicendi occasio.

LEO BOROWSKI, Phil. Magister, Poëseos et Eloquentiae theoriam tradet quater per hebd. Lun. Mart. Jov. et Sat. diebus hora IV—V pomerid. et utriusque artis indolem atque vim e clarioribus antiqui et recentioris temporis scriptoribus ostendet, vernaculorum praecipue ratione scriptorum habita, scribendi etiam exercitationibus studiosorum haud deerit.

IOANNES PINABEL, a Cons. Aul. Linguae et Litteraturae Gallo Francorum Prof. P. E. Mart. Ven. et Sat. diebus h. III ad IV 1) linguae et prosodiae Gallofrancorum elementa tradet 2) litterarum elegantiorum huius gentis historiam enarrabit ducibus Batteusio, Marmontelio et Laharpio. 3) vertendo in linguam Gallicam et recitando pulcherrima laudatissimorum scriptorum loca tum styli exercitandi tum pronunciationis emendandae auditoribus copiam faciet.

IOANNES RVSTEM, a Cons. Aul. Artis delineandi Prof. P. E. quotidie ab hora V vespertina ad VII regulas Artis delineandi tradet et explicabit, discipulos quoque in formis ducendis ad lampadis lucem, tam ex antiquis quam anatomicis figuris, deinde de vivo exemplari, exercebit.

SIMON FELIX ŻVKOWSKI, a Cons. Aul. Univ. Adiunctus, Linguae Graecae elementa traditurus, expositioni Grammatices subiunget explicationem Chrestomathiae Iacobsii V. Cl, quam denuo hic typis excudendam curavit. Idem Luciani libellum qui inscribitur, Quomodo historia conscribenda sit, interpretabitur diebus Mart. et Sat. ab horae XI dimidio ad XII.

ANDREAS IVSTINVS LEWICKI, Phil. D, a Consil. Aul. Universitatis Adiunctus, Mart. et Jov. diebus h. I—II. Bucolica Virgilii et Iulii Caesaris de Bello Civili Commentarios vernacula lingua explicabit, studiaque auditorum ad scribendi et eximia scriptorum latinorum loca in patri-

um sermonem accurate et eleganter transferendi operam convertet regetque, tum bonae versionis dotes ac virtutes generatim exponens, tum maxime veterum Romanorum scriptorum vertendorum rationem modumque praecipiens.

BENIAMIN HAVSTEIN, a Cons. Aul., Univers. Adiunctus, diebus Lun. Merc. et Ven. ab hora IV ad V Linguae Germanicae praecepta tradet, et discipulorum germanice scribendi exercitationes moderabitur.

Idem diebus Mercur. Jov. et Sat. hora I ad II, elementa Linguae Anglicae docebit.

CASIMIRVS JELSKI, Artium Magister, Sculpturae elementa tradet, tironumque in hac arte se exercentium studia reget diebus Lu. Merc. et Veneris ab horae XI dimidio ad XII.

IOANNES DAVID HOLLAND, Lun. Marc. et Vener. diebus, hora III — IV Musices veteris et recentioris disciplinam tradet; doctrinamque de sonorum numeris (Contrapunct), de diversorum intervallorum usu, de sonorum figuris et dimidiatis (Cadences), de siglis continuis (General-Bass) et de compositione musica exponet, musicasque auditorum reget exercitationes.

Artes Gymnasticas, quum equitationis et saltationis, tum rudibus vel pugnatoriis armis batuendi, publice docebunt harum Artium Magistri, diebus et horis designandis.

Bibliothecam Academicam, quum primum librorum copiae ex vetere Aedificio in novum, Munificentia Caesarea nuper exstructum, translatae fuerint, aperient quotidie, Solis ceterisque festis diebus exceptis, hora III — V. Godofr. Ern. Groddeck Bibliothecae Acad. Praefectus, Custodesque Bibliothecae Acad. Casimirus Kontrym a Cons. Aul. et Simon Felix Żukowski a Cons. Aul. Vniversitatis Adiuncti.